



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

1 V. necessarium fuerit annuntiari B. Virgini, quod in ea erat generandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)



sanctitate, in modo colendi aliquem sanctum, alias esset Laurentius existimandus sanctior multis Apostolis, considerat ergo alias rationes, & circumstantias, ministerium videlicet, quod in Ecclesia habuit, singularem aliquam utilitatem, vel Ecclesiae aedificationem maiorem, denique notitiam, & cognitionem, & alia huiusmodi. Adde etiam eos praesertim colere, qui ad nouum Testamentum pertinent. Itaque ex cultu Ecclesiae non potest efficax argumentum sumi. Aliunde vero coniectura, & rationes factae pie sunt, & non parum vrgentes, quapropter in hac pia existimatione nullum est periculum, nulla temeritas. Nihilominus tamen cordati, ac prudentis hominis esse existimo, nihil temere, aut nimium asseueranter asserere, quia reuera ubi deest Scripturae autoritas, aut Ecclesiae traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo, in re praesertim ex diuina electione, ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt, & abditissima mysteria.

Multo autem minus censeo esse asserenda, vel credenda quaedam priuilegia, quae nonnulli huic Sancto tribuunt, vt fuisse sanctificatum in vtero matris, caruisse fomite, vt omni actuali peccato, vt videre licet in Gersono sermone quodam de Natiuitate Mariae, & Iacobo Christopholitano, exponente canticum Virginis. Haec enim, & similia, quae sunt praeter generales canones Scripturae, non sunt sine conuincente ratione, & magna autoritate Ecclesiae, vel sanctorum Patrum approbanda. Denique quae dona scientiae, aut sapientiae, aut quae gratia gratis datae huic Sancto donatae fuerint, incertum nobis est: illud solum ex Euangelio habemus, recepit interdum Angelicas illustrationes, & Propheticas reuelationes. De alijs vero solum dicere possumus, ea vt minimum accepisse, quae suo muneri conuenienter obeundo fuerunt opportuna, reliqua vero ignota nobis esse. Vnde in his donis, & gratiis facile credi potest superstium fuisse hanc sanctum non solum ab Apostolis, sed etiam ab alijs, quibus ad utilitatem Ecclesiae magis erat necessaria.

Illud vero aduertere non praetermittam, ex quadam satis recepta sententia, probabile fieri, sanctum hunc corpore, & animo glorioso cum Christo regnare, quia cum ante Christum mortuus fuerit, verisimile est fuisse vnum ex illis, qui tempore mortis, vel Resurrectionis Christi surrexerunt, quos multi sentiunt ad immortalem vitam animi, & corporis transisse, vt suo loco dicemus.

## QVÆSTIO XXX.

De Beatæ Mariæ Virginis annuntiatio-  
ne in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de annuntiatione B.  
Mariæ Virginis.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, vt rum conueniens fuerit ei annun-  
tari, quod in ea generandum erat.

Secundo, per quem erat ei hoc annuntiandum.

Tertio, per quem modum ei annuntiari debebat.

Quarto, de ordine annuntiationis.

## ARTICVLVS I.

Vtrum necessarium fuerit annuntiari Beatæ Virgini,  
quod in ea erat generandum.



Primum sic proceditur. Videtur, quod  
non fuerit necessarium B. Virgini annun-  
tari, quod in ea generandum erat. Annuntia-  
tio enim ad hoc solum necessaria esse vide-  
batur, vt Virginis consensus haberetur. Sed

A consensus eius non videtur necessarius fuisse: quia conceptus  
Virginis praenuntiatus fuit prophetia praedestinationis, quae  
sine nostro completur arbitrio, vt dicit quaedam gloss. Matt. i. 1. Gloss. ordin.  
super Matt.  
1. cap. super  
illud, vt ad-  
impleretur.

2. Præterea, B. Virgo incarnationis fidem habebat, sine  
qua nullus esse poterat in statu salutis: quia vt dicitur Ro-  
man. 3. Iustitia Dei per fidem I. su Christi in omnes. Sed de  
eo, quod aliquis per certitudinem credit, non indiget ulterius  
instrui. Ergo B. Virgini non fuit necessarium, vt ei incarnatio  
filij Dei annuntiaretur.

3. Præterea, sicut B. Virgo corporaliter Christum con-  
cepit, ita & qualibet sancta anima concipit ipsum spiritua-  
liter. Vnde Apostol. dicit Galat. 3. Filioli mei quos iterum  
parturio, donec formetur Christus in vobis. Sed illis, qui spi-  
ritualiter debent Christum concipere, talis conceptio annun-  
tiatur. Ergo nec Beatæ Virgini fuit annuntiandum, quod  
esset in vtero conceptura filium Dei.

Sed contra est, quod habetur Luc. i. quod Angelus dixit ei,  
Ecce concipies in vtero, & paries filium.

Respondeo dicendum, quod congruum fuit Beatæ Virgi-  
ni annuntiari, quod esset Christum conceptura. Primo qui-  
dem, vt seruaretur congruus ordo coniunctionis filij Dei ad  
Virginem, vt scilicet prius mens eius de ipso instrueretur,  
quam carne eum conciperet. Vnde Augustinus dicit in lib. de  
virginitate, Beatior est Maria percipiendo fidem Christi,  
quam concipiendo carnem Christi. Et postea subdit, Mater-  
na propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Chri-  
stum corde, quam carne gestasset. Secundo, vt posset esse cer-  
tior testis huius sacramenti, quando super hoc diuinitus erat  
instructa. Tertio, vt voluntaria sui obsequij munera Deo of-  
ferret, ad quod se promptam obtulit dicens, Ecce ancilla Do-  
mini. Quarto, vt ostenderetur esse quoddam spirituale ma-  
trimonium inter filium Dei, & humanam naturam, & ideo  
per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco to-  
tius humanæ naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Prophetia praedestina-  
tionis completur sine nostro arbitrio causante: non tamen sine  
nostro arbitrio consentiente.

Ad secundum dicendum, quod B. Virgo expressam fidem  
habebat incarnationis future: sed cum esset humilis, non tam  
alta de se sapiebat: & ideo super hoc erat instruenda.

Ad tertium dicendum, quod spirituales conceptionem  
Christi, quæ est per fidem, praecedit annuntiatio, quæ est ex  
auditu: vt dicitur Roman. 10. Nec tamen propter hoc aliquis  
pro certo scit se gratiam habere, sed scit veram fidem esse,  
quam accepit.

## COMMENTARIVS.

Licet Diuus Thomas de necessitate interroget,  
respondet tamen fuisse conueniens, seu con-  
gruum quia sine vilo dubio non fuit hæc annuntiatio  
simpliciter necessaria. Potuisset enim Deus sacramen-  
tum conceptionis Christi in Virgine perficere nul-  
la reuelatione præmissa, eiusque consentu non ex-  
pectato, curenim hoc repugnat? Multo tamen con-  
uenientius fuit, eam prius admoneri. Quod qua-  
tuor optimis rationibus probat D. Thom. Primam  
attigit Leo Papa, sermo. i. de Natiuitate. dicens. Virgo re-  
gia Davidica stirps eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu,  
diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente  
quam corpore. Nam licet B. Virgo expressam, ac di-  
stinctam fidem de mysterio incarnationis habuif-  
set, non tamen cognouerat in ipsa, per ipsam, & cum  
ipsa fuisse perficiendum, donec per Angelum in-  
structa esset, vt supra diximus, & docuit Ambrosius,  
libro 2. in Luc. cap. de interrogatione Mariæ, & Au-  
gustin. lib. de Sancta virginitate. cap. 4. Et colligitur ex  
colloquio inter Mariam, & Angelum, praesertim  
ex Mariæ interrogatione, & ex verbo illo Elisa-  
beth,

Annuntia-  
tio de Chri-  
sti concep-  
tione cur vir-  
gini facta.  
Leo Papa.

Ambros.  
August.

Rationes.

Gerson.  
Iacob Chri-  
stopol.

Notabile.

164.  
1. dist. 3. q. 3.  
art. 1. q. 1. &  
dist. 30. art. 4.



Leo Pap.

beth, Beata, qua credidisti. Itaque tunc primum credit illud mysterium, ut ad se pertinet, & ut ex ipsa perficiendum. Oportuit enim, ut hoc modo Verbum prius mente conciperet, quam carne, cuius propriam, & maxime literalem rationem attigit Leo Papa in praedicto sermone, subdens. *Et ne superni ignara consilij ad inusitatos pauperet effectus* (ita enim legendum est iuxta emendatioris codices, quamvis alij habeant, *assatus*) *quod in ea operandum erat, colloquio discit Angelico*, etenim, si B. Virgo conceptionem filij prius in se fuisset corporaliter experta, quam quid illud esset, unde, à quo, vel cuius rei gratia fieret, intelligeret, merito conturbari posset. & pauperet.

Secunda ratio D. Tho. ex parte nostra assumpta est, factam scilicet esse Virgini hanc reuelationem, ut posset esse nobis testis, & magistra tanti mysterij. Cui addi potest, per hanc reuelationem factam esse, ut praecipuum testimonium virginis eius, & modi admirabilis, quo filium suum concepit, haberemus.

Leo Papa.

Tertia ratio sumpta est ex parte ipsius Virginis, & accommodari etiam potest, ex parte ipsius mysterij. Primum enim decuit tantum beneficium summa reuerentia, & religione suscipi, & ideo oportuit prius, tam mire fuisse credendum, quam prouisum, vel Leo Papa inquit sermo. 6. de Nativ. Deinde, ipsi Virgini utilissimum fuit ad talem dignitatem proprijs actibus praeparari, eamque quoad fieri poterat, promereri. Quod in hac angelica annuntiatione praestitit exercendo fidem eximiam, obedientiam, humilitatem, magnanimitatem, singularem prudentiam, suae virginis sollicitudinem, & acerga Deum summam quandam pietatem, & amorem. Hi enim & similes actus in illo virgineo colloquio mirabiliter elucunt.

Quarta ratio D. Tho. in suaui ordine diuinæ providentiae fundatur. Sicut enim Deus per gratiam suam tametsi efficacissimam, nullam personam ratione utentem ad amicitiam suam sine consensu illius pertrahit: ita cum per hoc mysterium B. Virgo ad singularem cum Deo coniunctionem ineundam leuaretur (futura enim erat, veluti Spiritus Sancti sponsa) ad suam diuinæ providentiae dispositionem pertinuit, voluntarium eius expectare consensum. Imò addit D. Thom. B. Virginem in eo facto totius humanæ naturæ gessisse personam, & in admirabile matrimonium, quod inter Deum, & homines perficiendum erat, consensisse. Unde de hoc mysterio non incongrue intelligitur illud Cantorum 3. *Egredimini, & videte filia Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die laetitiae cordis eius.* Et Petrus Chrysost. serm. 140. Sic inquit, *Ad Virginem Deus aligerum portitorem misit. Nam dat arham, dotem suscipit, qui ferri gratiam, fidem refert, & tradit munere virtutu, qui max virginei resoluunt sponsonem.*

Cant. 3.

Pet. Chrysol.

Prophetia  
praedestina-  
tionis quo-  
modo sine  
nostro im-  
pleri arbi-  
trio possit.

In solutione primi argumenti notanda est illa propositio. *Prophetia praedestinationis sine nostro impleretur arbitrio.* Quae supponit celebrem illam diuisionem prophetiae in prophetiam praescientiae, praedestinationis, & comminationis, quam tradit idem D. Tho. 2.2. q. 174. art. 1. & quaest. 12. de veritate, art. 10. Quae solet ita explicari, ut prophetia praescientiae, per nostrum arbitrium, praedestinationis autem sine illo compleatur. Hoc verò limitat, & explicat D. Tho. in hac solutione, dicens, prophetiam praedestinationis impleri sine nostro arbitrio causante, non tamen sine illo consentiente. Quae distinctio data est à D. Thom. ut breuiter argumentum expediret. Secundum verò est, prophetiam praedestinationis generaliter dici posse omnem illam, quae est de effectu à Deo praedefinito, quae certitudinem accipit ex praedestinatione diuina, quae interdum verificari potest circa effectum, qui non pendet ex libero arbitrio, nec consentiente, nec operante. Ut, v. g. si

A Deus praedestinasset infantem iustificare absque illius, vel alterius operatione. Interdum verò cadere potest in effectum exequendum per liberum arbitrium consentiens, non verò operans, seu causans, quale est praesens mysterium: nonnunquam verò esse potest de effectu exequendo per liberum arbitrium consentiens, & operans, ut sunt actus liberi arbitrij praedefiniti à Deo, vel effectus supernaturales, quos causa libera, ut instrumentum, vel minister Dei operatur, qui etiam possunt esse praedefiniti. Cum ergo D. Thomas dicit, prophetiam praedestinationis compleri sine nostro arbitrio causante, non verò sine illo consentiente, permissiue utrunque intelligendum est. Hoc enim ad argumentum soluendum sufficit, nisi velimus dicere eum eodem D. Thom. dicto loco de veritate ad 6. omnem prophetiam alicuius effectus pendente à libero arbitrio, ut sic esse prophetiam praescientiae: ut verò sit à Deo, esse praedestinationis: aut effectus supernaturales, quia non pendet ex naturali virtute liberi arbitrij, nunquam dici proprie esse ab illo operante, sed consentiente motiui Dei. Prior verò doctrina solidior videtur, magisque satisfacere, & clarior est, quam ea, quam Caietanushic notat, quae non mihi videtur admodum necessaria.

Solutio ad secundum, & quae Caietan. ibi aduertit supra, tractata sunt.

In solutione ad 3. notetur illa propositio. *Qui credit, licet non sciat se esse in gratia, scit tamen esse veram fidem, quam accepit:* ubi si verbum scire proprie cognitionem euidentem significet, ad rei credibilitatem, non ad veritatem referendum est, si tamen solum significet cognitionem certam, (ut D. Thom. reuera intendit) ponderanda sunt verba eius. Solum enim dicit eum, qui credit, scire veram esse fidem, quam accepit, hoc enim necessarium est credere, quia alias non crederetur obiectum esse, infallibiliter verum: non tamen dixit D. Thom. eum, qui credit, scire se habere supernaturalem fidem. Quia cum hoc non solum pendeat ex veritate obiecti, sed etiam ex modo, quo homo assentitur, non potest sub certitudinem fidei cadere. Unde cum D. Thom. ait, *nec tamen propter hoc aliquis pro certo scit, se gratiam habere*, non videtur intelligere de sola gratia iustificante, sed etiam de ipsa gratia, quae datur ad supernaturaliter credendum, per habitum vel actum infusum, hoc enim potius ad argumentum pertinebat, quam illud aliud.

## ARTICVLVS II.

Virum annuntiatio Beatae Virginis fieri debet per Angelum.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod B. Virgini non debuerit annuntiatio fieri per Angelum. Supremis enim Angelis sit reuelatio immediate à Deo: ut Dionysius dicit 7. cap. Celest. hierar. Sed mater Dei est super omnes Angelos exaltata. Ergo videtur quod immediate à Deo debuerit sibi annuntiari incarnationis mysterium, & non per Angelum.

2. Præterea, si in hoc oportebat seruari communem ordinem, secundum quem diuina hominibus per Angelos reuelantur, similiter diuina ad mulierem per virum deferuntur, unde & Apostolus dicit, 1. ad Corinth. 14. Mulieres in Ecclesiis taceant: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Ergo videtur, quod Beata Virgini debuerit annuntiari mysterium incarnationis per aliquem virum: praesertim quia Ioseph vir eius super hoc fuit ab Angelo instructus: ut legitur Matth. 1.

3. Præterea, Nullus potest congrue annuntiare quod ignorat. Sed etiam supremi Angeli non plene cognouerunt incarnationis mysterium, unde dicit Dionysius 7. Celest. hier. ex eorum persona esse intelligendam questionem, quae ponitur Isai. cap. 63.

Quia